PRAELECTIONES

IN

VNIVERSITATE LITTERARVM
CAESAREA VILNENSI

A KALENDIS SEPTEMBRIBVS A. MDCCCXVI
AD PRIDIE KAL. IVLIAS A. MDCCCXVII.

HABENDAE

INDICVNTVR

A

RECTORIS VICARIO ET SENATV ACADEMICO.

PRAEMITTITVR

GODOFREDI ERNESTI GRODDECKII

PROLVSIO

DE HYPOSCENIO IN THEATRO GRAECORVM.

VILNAE
EXCVDIT IOSEPHVS ZAWADZKI
ACADEMIAE TYPOGRAPHVS.

Michael Balinski

DE HYPOSCENIO IN THEATRO GRAECORVM.

In variis theatri graeci partibus, quas, praeeunte *Iulio Polluce*, doctissimo Grammatico, in Prolusione, hoc ipso anno recitata, ac typis subinde descripta, recensuimus, etiam *Hyposcenia* memorantur. De quibus quin una tum ageremus, quum et scriptionis consilium, et temporis, his commentatiunculis destinati, angustiae prohiberent: age, nominis mature solvendi memores, quae ad eiusdem Pollucis de hacce veteris theatri parte sententiam dudum nobiscum commentati sumus, hoc, neque alieno, loco in medium afferamus. Partis autem huius accurate definiendae non eadem solum cernitur difficultas, qua disceptationem de *Parasceniis* premi ostendimus, verum hactenus etiam maior, quod, praeter brevissimam illam Hyposcenii descriptionem, quam Onomastici auctori acceptam referimus, paucissima, quod sciam, Veterum exstent scriptorum loca, quorum ad cognoscendam rem, quam quaerimus, auctoritate uti liceat. Quo minus mireris, si doctorum virorum, qui post renatas litteras aedificii theatralis veterum formam et descriptionem explicare tentarunt, plurima pars, seu consilio seu temere, Hyposcenii ne mentionem quidem fecerint, nedum eius in antiquis theatris locum et usum subtilius investigare conati sint. A quorum vel incuria vel negligentia vindicat nos primarii in hac re scriptoris graeci, quem nobis ducem elegimus, doctrina et auctoritas, cuius de Hyposcenio haec leguntur verba in Onom. l. IV. c. 19. §. 124:

Τὸ δὲ ὑποσκήνιον, κίοσι καὶ ἀγαλματίοις ἐκεκόσμητο, πρὸς τὸ θέατρον τετραμμένοις, ὑπὸ τὸ λογεῖον κείμενον.

„*Hyposcenium autem columnis et statuis ornatum erat, Theatro, quod pulpito subiacet, adversis.*“

Hanc, quam prodidimus, auctoris sententiam esse, cur statuamus, paulo disertius iam explicandum est. Longe secus quidem Cel. *Buttmannus* Graeca intellexit vertitque [a]): *Die Unterbühne, welche unter der Zocke der Bühne lag, war, gegen das Theater hin, mit Säulen und Statuen geschmückt* i. e. Scena inferior, sub pulpito sita, a parte theatro adversa, columnis et sta-

a) In Append. ad Vitruvii vers. Rodianam T. I. p. 277.

tuis condecorata erat. — In quo tamen statim displicet vox *Scena inferior*, (*Unterbühne*). Notissima enim res est, praepositionem ὑπό, quum per se, tum in compositione [b]), ut Latinorum *sub* (v. c. in *suburbium*, *suburbanus*), interdum etiam id quod *prope*, *vicinum*, *finitimum*, *affine*, *alicui adversum* est, significare. Vid. Vigerus p. 691. not. 96. Itaque vocabulum ὑποσκήνιον pariter de loco *scenae vicino* et *finitimo*, vel *ante scenam* sito, intelligi et explicari possit: quam certe nominis potestatem vocabulum *Unterbühne*, *Scena inferior*, vix admittit. Satius igitur nobis visum est, graecum nomen retinere, in latina certe lingua, compositis vocabulis multo minus abundante, frustra vocem quaerentibus, qua, ut graeca ὑποσκήνιον, utraque praepositionis vis, *infra* et *prope*, ad Scenam relata, contineatur.

Deinde, quam, cum doctissimo Buttmanno, scripti codicis lectionem, τετραμμένοις, recepimus, haud dubie multum ea praestat vulgata τετραμμένον, qua auctoris sententiae nescio quid otiosi et supervacui obtruditur. Hyposcenium enim, haud minus quam Scenam, theatro, i. e. spectantium sedilibus, adversum esse, lectorum quisque, nec admonitus, intelligat; non item, nisi diserte meminisset scriptor, *statuas* (ἀγαλμάτια) in Hyposcenio e theatri sive spectatorum regione positas fuisse: nam *aliorsum* etiam versae, non recte, sed *oblique* theatrum spectare poterant.

Denique extrema verba, ὑπὸ τὸ λογεῖον κείμενον, ab interpretibus ad remotius ὑποσκήνιον fere relata, rectius cum nomine proxime praegresso, θέατρον, coniunxisse me arbitror. Priori enim rationi ipsa verborum collocatio in enunciationis fine adversatur. Quibus si auctor Hyposcenii locum indicare voluisset, statim, opinor, voci ὑποσκήνιον ea subiecisset. Ut nunc illa posita sunt, vix alio pertinent, quam ad explicationem ambiguae vocis θέατρον, quae, e scriptoris consilio, propria sui significatione, de aedificii theatralis parte illa orbiculata, et *Logeo sive pulpito subiecta*, in qua populus spectabat, hoc loco intelligi debet. Quod quum non animadvertissent interpretes, e prava verborum horum constructione sponte ortum esse puta errorem aeque vulgarem, quo graeci theatri hyposcenium fuisse statuitur *creditus quidam anterior Logei sive pulpiti paries, in orchestram descendens*, quem hinc, Polluce auctore, columnis et statuis vestitum atque distinctum esse autumant [c]). Errorem dixi: vix enim aliud nomen meretur opinio, et nulla veteris scriptoris auctoritate fulta, et multis de causis, ex ipsa theatri antiqui structura petitis, repudianda.

Etenim Vitruvio docente (V. 8.), Logeum in graecis theatris ultra decem, ad summum duodecim, pedes super Orchestram assurgere haud debuit: quae sane altitudo nimis erat modica,

---

b) V. c. ὑπηοῖος, ὑποδείελο[illegible], ὑποδέραιον, ὑποκιθαρίζω, ὑποκρήνη, ὑπόκρισις, ὑποκριτής, ὑπόληψις, ὑπόρθριος, ὑπορχέομαι, ὑπόρχησις, ὑπουργέω, ὑπουργία, ὑποφώνησις, ὑποψάλλω etc.

c) Vid. Stieglizius in Encyclop. d. b. B. T. IV. p. 562. coll. Bulengerii Descr. Theatri l. c. p. 825.

quam ut paries illius, quem volunt, anterior *columnis* vestiretur, iisque pariete, ut sumere par est, haud altioribus, ne histriones, in pulpito partes suas agentes, undique spectandi facultas adimeretur populo. Tum autem, quam theatri partem columnae fulsisse illae putentur? Quae si vel pulpiti anteriori admotae fuissent parieti, necesse tamen erat, ut trabes procurrentes aut tectum quoddam sustinerent. Accedit, quod pulpitum cum proscenio e tabulis ligneis tignisque fere constructa esse novimus [d]), quae asseres palive fulcirent, qui per orchestrae pavimenti foramina demissi, in substructionibus theatri fornicatis defigerentur. Mobile hinc fuisse sequitur, ac tum demum exstructum, quum fabulae in theatro agerentur, quibus peractis verisimiliter rursus dissolveretur [e]). Quod si bene habet, per se intelligitur, quam parum probabilis sit ratio ista, quae Hyposcenium pulpiti parietem nescio quem anteriorem fuisse vult, eumdemque columnis et statuis magnifice exornat. Nec sane fugit Stieglizium explicationis huius ἀτοπία: quam ut removeat, proscenium non in *cunctis* theatris e ligno constructum fuisse suspicatur (p. 563); certe non *Herculanum*, in cuius parte anteriore, quam cum aliis Hyposcenium appellat, *murus depressior* conspiciatur [f]). Sed Herculanum theatrum ab Romanis conditum esse constat; et nos nunc graecum quaerimus, auctore Polluce. Esto tamen; Graecorum theatra nonnulla Herculano eatenus fuerint similia. Num *humili muro* congruum statuarum et columnarum dices ornatum? Nimirum is Veterum in architectura pulchri et decori sensus sincerus erat et incorruptus, ut huiusmodi ineptias, non dicam, probarent, sed tolerarent!

Eadem fere origo [g]), nec maior est auctoritas sententiae aliorum virorum doctorum [h]), qui *Hyposcenium in Orchestra* quae-

---

d) Cf. Prolus. de theatri graeci partibus p. 13. et auctt. ibi laudd.

e) *Houelius* Voy. pitt. de la Sicile T. II. p. 37 (coll. Tab. aen. XCII, 9.): „La trace horizontale indique un de ces coridors souterrains dont nous venons de parler, et dans lequel on descend, ainsi que dans un autre semblable qui est dans la partie opposée de cet orchestre, et ils se communiquent l'un à l'autre en passant par le souterrain. Il y a des trous quarrés, disposés suivant la direction de ce coridor; ils repondent au mur latéral de ce coridor. *Ils servaient à dresser perpendiculairement des pièces de bois de huit à dix pouces quarrés pour supporter des poutres horizontales, sur lesquelles on mettoit des planches afin d'agrandir le pulpitum*..... Toutes les ouvertures par où l'on pouvoit descendre dans les coridors souterrains, étoient bouchées par des trappes, et le sol étoit uni dans toute son étendue, lorsqu'on ne faisoit pas usage du pulpitum. Dans cet état, l'orchestre pouvoit servir, soit aux assemblées publiques que dans beaucoup de villes grecques on tenoit au théâtre, soit à des ceremonies religieuses qu'on faisoit quelquefois dans ce même lieu qui n'étoit pas prophane chez les anciens comme chez nous.

f) Similem murum Houelius notat in theatro Tauromenitano l. c. p. 38. At neque hunc Graecae, sed Romanae deberi architecturae, ipsa auctoris descriptio, tum hoc loco et p. 39, tum aliis multis, satis superque docet,

g) Nempe ex vitiosa verborum ὑπὸ τὸ λογεῖον κείμενον apud Pollucem quum constructione, tum interpretatione.

h) Rambachii ad Potterum T. I. p. 95 Not. Schneideri V. Cel. et Reichenbachii in Lex. Gr. sub voce.

runt, et pro loco habent, in quo *musici* artifices artem suam exercebant. Locum quod attinet, qui ita opinantur, in easdem paene difficultates incurrunt, propter quas superiorem rationem reiiciendam censuimus. Neque enim columnis nec statuis ponendis idoneus fuisse videtur. An pulpitum sive suggestum quoddam intelligendum esse dixeris, fultum illud columnis, in quarum intervallis statuae ponerentur? Enimvero tale suggestum, columnis impositum, si iusta eius erat altitudo, *Logeum*, in quo histriones partes suas agebant, supereminere debuisset: quod aeque parum verisimile ac silentium Pollucis, qui, quum de Orchestra dicens, Thymelen eius partem diserte memoret, certe Hyposcenii non oblitus fuisset, quod in eadem orchestra exstitisse volunt. Deinde, quae ratio, quis usus esset huius suggesti? Ut, inquiunt, *musici* in eo stantes, dum fabula ageretur, artem suam factitarent. Sed his usibus *Thymelen* inservisse vidimus [i]). Similes autem Hyposcenii, veterum scriptorum, quod sciam, nemo prodidit.

Unde tandem fluxerit sententia tam diserte tradita? — Nempe, nisi fallor, ex *Athenaei* loco (XIV. 7. p. 631 f. Cas.), in quo de labente musica arte disserens interlocutor, vulgi assensum et popularem approbationem pro certissimo olim mediocris artificis ingenii indicio habitum esse contendit: idque *Asopodori* Phliasii [l]) salso quodam dicto confirmat. Qui, quum tibicinum aliquis magno populi plausu excipiebatur [m]), *ipse adhuc in Hyposcenio moratus*, „Quid hoc? ait, ingens haud dubie peccatum commiserit necesse est" (i. e. turpissime lapsus est tibicen); significans, alioquin a multitudine non tam fuisse probatum [n]).

At totam argumentationis vim, quam in narratiuncula hac forsitam quaerunt, facile intelligitur eo tantum redire, quod, quae laudavimus verba, in Hyposcenio, dum tibicen caneret, pronunciavisse dicitur Asopodorus. Num vero hinc, quaeso, idoneis colligi argumentis potest, ipsos tibicines in Hyposcenio stetisse? Asopodorum novimus quidem scriptorem, non item *αὐλητὴν* sive tibicinem. Suspicari igitur licet, auditoribus eum interfuisse. Qui vero factum sit, ut, quum non nisi audientium unus esset, in Hyposcenio versaretur, tum demum intelligi aut recte explicari posse arbitror, si et theatri graeci partem hanc, eiusque locum et usum penitus perspectum haberemus, et facti ipsius, ab Athenaeo

---

i) Cf. Prolusio de Thymele in theatro Graecor. ad calcem Trachiniar. Sophoclis Vilnae 1808.

l) Scriptoris, ut videtur, antiqui, nec ignobilis, cuius Deipnosophista, praeter hunc, aliis etiam locis meminit, v. c. X. 13. p. 445 B. XIV. 9. p. 639 A. cf. Meurs. Bibl. Gr. in Thes. Gronov. T. X. p. 1269 B.

m) De tibicinum commissione, quae *ἀγὼν αὐλητῶν* dicebatur, cogitandum esse apparet. Vid. Demosth. in Mid. c. 43. p. 80 Spald. coll. Wolfio V. C. in Prolegg. ad Demosth. Leptin. p. XCIII.

n) *Καὶ πάλαι μὲν τὸ παρὰ τοῖς ὄχλοις εὐδοκιμεῖν σημεῖον ἦν κακοτεχνίας. ὅθεν καὶ Ἀσοπόδωρος ὁ Φλιάσιος, κροταλιζομένου ποτέ τινος τῶν αὐλητῶν, διατρίβων αὐτὸς ἔτι ἐν τῷ ὑποσκηνίῳ, τί τοῦτ᾽; εἶπεν· δῆλον, ὅτι μέγα κακὸν γέγονεν, ὡς οὐκ ἂν ἄλλως ἐν τοῖς πολλοῖς εὐδοκιμήσαντος.*

valde breviter expositi, adiuncta omnia accuratius teneremus. Ceterum, quod res ipsa docet, et supra iam monuimus [o]), ab Athenaeo non fabularum commissio quaedam, sed ἀγὼν αὐλητῶν i. e. tibicinum concertatio significatur. Quod si concedas, quaerere licet, utrum omnino hic de theatro cogitandum sit, an potius de *Odeo*, musicis concertationibus praecipue destinato. Odei autem quaenam fuerit interior forma, partiumque distributio et nomina, magis etiam ignoratur. Quodsi prius sumseris, in theatro certasse tibicines; suggestus, in quo steterint, non fuisse videtur nisi *Thymele*, nempe idem, quem, quum fabulae agebantur, musicos artifices conscendisse, veterum scriptorum auctoritate, docuimus, tumque nec Logeum, quid? ne Proscenium quidem exstrui solitum esse probabile fit [p]). Postremo, ipsa verba apud Athenaeum: διατρίβων αὐτὸς ἔτι ἐν τῷ ὑποσκηνίῳ *dum ipse* adhuc *in Hyposcenio moraretur,* si cum dicterio Asopodori, τί τοῦτο; δῆλον ὅτι κ. τ. λ. *Quid hoc? ingens haud dubie peccatum commissum est,* comparentur, verisimilem reddunt opinionem, Asopodorum, circumstantes in orbe tam facete compellantem, non in eodem, quo artifex, suggestu stetisse, sed potius, dum in aliquanto remotiori a tibicine loco adhuc versaretur, subito multitudinis plausu audito, admirabundum, cuius approbationis causam ipse ignorare simularet, eam ex iis qui propius abessent, aut iam diutius artifici, artem suam exercenti, operam dedissent, salse quaesivisse. Nam si ipse tibicinem probe auscultasset, vana, ne dicam inepta, fuisset interrogatio. Quum igitur, Athenaeo teste, in Hyposcenio tum degeret, Hyposcenium locum a tibicinis suggesto diversum fuisse oportet. Neque ratiocinationis huius vis imminuitur, si vel potior videatur fama de alio dicti huius auctore, quam laudatis verbis statim subiungit Deipnosophista: οἶδα δέ τινας τοῦθ' ἱστορήσαντας ὡς Ἀντιγενίδου εἰπόντος. „*Novi vero, a nonnullis ad Antigenidem referri id dictum.*“ Ut enim dicti illius sal apprime conveniat viro vel duumviris [q]), a tibiarum arte factitanda celebratissimis, quos, ut alios taceam, e magni Epaminondae concinno dicto apud Plutarchum [r]), et tralaticio illo apud Ciceronem [s]), *Mihi cane et Musis!* pulchre novimus: pensitatis tamen diligenter cunctis, quae modo indicavimus, narratiunculae momentis, vix credibile erit, Antigenidem ita locutum fuisse, dum ipse inter tibicines, ad certamen delectos, versaretur.

Quum igitur Hyposcenium nec pro muro vel pariete Logei anteriore habendum, nec in Orchestra quaerendum esse, idoneis, ut opinor, rationibus et nobismet ipsis, et, speramus, aliis etiam

o) Vide notam *m*).

p) cf. Nota *d*).

q) Vid. Iacobsius V. Cl. in Animadv. ad Anthol. Vol. I. Part. II. p. 57.

r) Apophthegm. T. II. p. 193 F.

s) In Bruto c. 50. coll. Erasmi Adag. p. 1538 ed. Wechel. Burette in Mem. de l'Acad. des Inscr. T. XIX. p. 470 sqq.

persuaserimus; restat ut, quisnam ei locus verisimiliter assignandus videatur, dicamus. Iam is quidem a Polluce in theatri partis huius descriptione supra allata, si eam interpretandi rationem, quam rectiorem iudico, sequaris, haud definitur. Accedit alia, in speciem levior, res, ab interpretibus non animadversa, vel silentio transmissa. Nostro enim loco, Onomastici auctor de Hyposcenio, numero singulari, loquitur: τὸ δὲ ὑποσκήνιον κ. τ. λ. Paulo autem superius (§. 123. p. 423), quo loco plerasque theatri partes breviter recenset, *parasceniis* statim subiicit *hyposcenia*, numero multitudinis [t]). Cuius quum discriminis insistens vestigiis, tum maxime Hyposcenii ornatus, a Polluce perhibitos, cogitans, *locum Scenae proprie sic dictae* (i. e. extremo proscenii parieti), *ab anteriore parte, proximum, partim a fronte, partim ab utroque latere*, (unde ὑποσκήνια numero multitudinis) *Hyposcenii nomine appellatum fuisse* coniiciebam. Is enim locus aptus et idoneus videbatur columnarum ornamentis, quibus porticus inaedificarentur magnificae, et in quarum spatiis intervallisque statuae ponerentur et imagines. Quae quidem spatia actores, e triplici Scenae ianua exeuntes, quum transiissent, ad proscenium et pulpitum, e ligno ad tempus constructa, pervenisse putandi sunt. Cui opinioni ut firmius quoddam praesidium comparem, liceat locos nonnullos e theatri Tauromenitani descriptione, quam *Houelio*, saepe nobis laudato auctori, debemus, hic apponere. Sic autem ille artibus ingenuis instructissimus scriptor in Itinerario graphico Siciliae *T. II. p. 36.*:

„J'ai une relation manuscrite, qui m'apprend qu'en 1748 et en 1749 on fouilla le terrain en différens endroits, et qu'on y trouva une quantité très-considerable de tables minces d'un très beau marbre qui ne pouvoit provenir que de la decoration des façades de ce théâtre, construites en briques ou en pierres et revêtues de ces tables.... Ce qui achève de persuader que cette magnificence a existé, c'est la *quantité de tronçons de colonnes de marbre* qu'on a trouvé en faisant cette fouille, et même de marbres étrangers.... On voit encore des *tronçons de deux colonnes et de quelques autres dans l'exterieur du mur de l'avant-scène.* Tous ces morceaux étoient de différentes longueurs et de différens diamètres, tels qu'ils pouvoient convenir à *l'avant-scène où à la galerie,* ainsi que l'indiquent les coupes géométrales....“ (p. 37). „On trouva aussi des bases de marbre blanc, sept chapitaux d'ordre Corinthien de trois différentes mesures; des morceaux de colonnes cannelées, des frises, des architraves, des chapitaux de marbre blanc et *des debris de statues.*“

---

t) Quem locum fortasse respexit Cel. Schneiderus (Lex. Gr. T. II. p. 756) vocabuli notionem ita explicans: *Ὑποσκήνιον*, auf dem Raume (*ὀρχήστρα*) des Theaters *zur Rechten und Linken* der Thymele, vor der Scene im Halbzirkel, wo die Musik spielt. Cf. Idem sub voce *Θυμέλη*. Quo utroque loco, quamvis diligenter, comparato, vereor tamen, ut, quam vocis *ὑποσκήνιον* significationem vel ipse auctor intellexerit, vel aliis probare voluerit, lector haereat incertus.

Dicta haec excipit auctoris de orchestra et pulpito mobili sententia, quam supra descripsimus [u]). Tum eadem charta ita pergit:

„Audessus de ce plancher factice (du pulpitum) s'élève le socle qui portoit *les colonnes dont cette avant-scène étoit decorée* comme je le suppose dans la coupe de ce théâtre, Planche XCVI." et p. 38: „J'ai représenté dans cette estampe cette Avant-scène ou ce Proscenium, telle que je l'ai trouvé: il étoit en partie détruit: *on y voyoit encore des bases et des tronçons de colonnes de granite tous très-beaux.... La partie superieure de cette avant-scène me paroit avoir été occupée par des galeries* ou par des chambres dont les distributions sont effacées, ainsi que les places des croisées."

Denique p. 41.: »Les places des colonnes que j'ai marquées sur ce plan, *au devant de niches de l'avant-scène*, sont telles que ce qui en reste a pu l'indiquer; mais celles qui sont en retour, sont purement coniecturales: je les ai arrangées selon l'ordre de la plus grande vraisemblance pour la decoration de ce lieu."

Iam vero descriptionem hanc illustrantes tabulae aereae, splendido operi adiectae, XCII. XCIV — XCVI. si inspiciuntur, ipse positus columnarum et a pulpito distantia ita congruunt cum sententia nostra, ut locum, quem Houelius, alius quippe nominis ignarus, *scenam anteriorem* (l'Avant-scène, Proscenium) constanter appellat, non esse nisi *Hyposcenium* Polluci commemoratum, a vero haud absimile videatur. Adde quod, praeter istum locum, alius nullus, neque sub pulpito, nec in Ochestra, reperiri possit satis idoneus, cui nomen hoc commode tribuatur. Quo fit, ut vel Pollucis auctoritate facile nos tueremur, si quis rationem, quam adhibuimus, eo impugnare vellet, quod theatri Tauromenitani, ipso *Houelio* teste frequenti, primitus quidem a Graecis constructi, multis tamen modis posthac refecti, granditas et magnificentia, maximam partem, ab Romanis, Siciliae domitoribus, repetenda videatur: ut iure hinc dubitari possit, utrum columnarum in theatro hoc ornamenta primi eius conditores, an aliquanto serius Romani adiunxerint. Immo sic argumentemur licet: Quum dubitari nequeat, quin *Graeci* theatri descriptio Pollucis libro contineatur, ex eiusdem de Hyposcenio verbis iusta colligitur ratione, partem hanc quum cunctis Graecorum theatris communem fuisse, tum vero etiam in Tauromenitano, ante Romanorum in Sicilia dominationem, a Graecis civitatis incolis exstructam esse. Ceterum eadem pars, iisdem instructa ornamentis, nec Romanis defuit theatris, quod non magis Vitruvius docet [x]), quam Romanorum, quae adhuc supersunt, theatrorum testantur reliquiae.

---

u) Vid. Not. *e*).

x) Archit. V. 7. *Supra podium columnae cum capitulis et spiris* cet. cf. Stieglizius l. c. p. 580 sqq.

Sed haec hactenus. Ad aliud enim hyposcenium animos et oculos iam convertite, Commilitones Carissimi, non illud quidem marmoris aerisve fragilis et caduci splendore ac magnificentia nitens, sed bonarum litterarum artiumque et doctrinarum copiis, quae Vobis offeruntur, perennibus exornatum;

Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series et fuga temporum. —

Ad has indefesso studio et opera comparandas invitamus Vos et hortamur volentes, ut maximis, praeter virtutem, bonis, iisque ad utilitatem uberrimis, ad veram gloriam efficacissimis, mature imbuti atque instructi, quum aliquando in amplissimo hoc vitae humanae theatro constituti eritis, partes vestras perite ac strenue agatis. „*Habet enim hoc optimum in se generosus animus, quod concitatur ad honesta. Neminem excelsi ingenii iuvenem humilia delectant et sordida: magnarum rerum species ad se vocat et extollit.*" *)

---

*) Seneca Ep. XXXIX. 2.

I.

PRAELECTIONES PHYSICORUM ET MATHEMATICORUM.

B. STANISLAUS JUNDZILL, Phil. et Theol. D. Reg. Societ. Litt. et Oecon. Vars. nec non Caesar. Societ. Mosquens. Scrutat. naturae Sodalis, Botanices et Zoologiae Prof. P. O. primo tradet Zoologiam universam. Expositis nempe generatim de natura animalium notionibus, institutaque solita divisione in classes et ordines iuxta recentissimas observationes, genera omnia et species singulatim lustrabit, earumque patriam, mores, usus etc. indicabit. Peracto cursu hoc ad Botanicam transibit, ac, praemissa brevi disciplinae huius historia, 1) ad Elementa a se edita exponet Physiologiam vegetabilium; 2) Terminologiam botanicam universalem; 3) instituet criticam variorum systematum analysin, methodum Linneanam prae ceteris scrutaturus; 4) denique ad plantarum, iuxta methodum sexualem, indicationem practicam perget, cum Horti Botanici copiis instructus, tum excursiones, quas dicunt, botanicas cum auditoribus suis facturus; diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, ab hora II ad IV^{tae} dimidium.

ANDREAS SNIADECKI, Phil. ac Med. Doctor, Collegiorum a Consil. Reg. Soc. Litt. Varsov. Sodalis, Chemiae Prof. P. O. principia Chemiae universae ad Elementa nuper a se edita, novisque demum observationibus ac recentissimis experimentis aucta, in Laboratorio chemico exponet, diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris ab horae XI dimidio ad XII ordine sequenti. Expositis primis Chemiae universae principiis, exponet primo theoriam ac leges affinitatum; tum tractatum de luce ac calorico; unde doctrinam generalem de fluidis aëriformibus ac de solutione derivabit. Quam expositionem tractatus de corporibus simplicibus seu non-decompositis, tam solidis quam aëriformibus, in specie excipiet. Ex proprietatibus vero gas oxygenii theoriam combustionis deducet; qua exposita, mox aget de corporibus combustis, quae in oxyda acidaque perfecta et imperfecta dividet, eorumque proprietates singulatim indicabit. Dein de acido muriatico simplici oxygenato ac superoxygenato disseret, recentissimasque de eorundem natura opiniones scrutabitur. Simili ratione natu-

ram alcalium ac terrarum examinabit, recentioraque experimenta, quae ea oxydis metallicis adnumerare suadent, enucleabit. Quibus absolutis, immorabitur aliquantum doctrinae de corporibus salinis, historiamque ac proprietates metallorum uberius exponet. Postremo Chemiam substantiarum organicarum aggredietur, expositisque generalibus principiis, de earundem analysi, differentiis, qualitatibus, usuque technico, oeconomico ac medico fusius disseret.

ZACHARIAS NIEMCZEWSKI Phil. D. Societ. Ital. Sodalis, Matheseos sublimioris applicatae Prof. P. O. diebus Martis, Mercurii, Veneris et Saturni ab horae VIII dimidio ad IX, exponet principia Calculi differentialis, nec non regulas differentiandi omnes functiones unius vel plurium variabilium tradet, atque usum ejusdem in inveniendis maximis et minimis quantitatibus functionum unius vel duarum variabilium, in investigandis proprietatibus Curvarum superiorum ordinum, demonstrabit. Absoluto calculo differentiali, perget ad Calculum integralem, ubi tractabit 1) de integratione functionum unius variabilis, qualescunque hae sint functiones, commensurabiles, incommensurabiles, integrae aut fractae, algebraicae vel transcendentes; 2) de integratione aequationum differentialium omnium ordinum, ubi agetur praecipue de separatione variabilium, de inveniendo factore, ope cuius aequatio differentialis in nonnullis casibus fit integrabilis, de solutionibus particularibus; 3) de integratione differentialium partialium omnium ordinum. Denique explicabit methodum Variationum, cuius latissimus est usus in Mechanica coelesti et analytica. Peracto iam cursu calculi differentialis et integralis, tradet Mechanicam, ubi leges aequilibrii, parallelogramma virium ac leges motus, ope analyseos exponet.

CAIETANUS KRASSOWSKI Phil. D. Universitatis Adiunctus, diebus Lunae, Mercurii, Iovis et Saturni, ab hora IX ad XI dimidium, cursum Physicae generalis explicaturus, praemissis notionibus de generalibus corporum proprietatibus, statim perget ad expositionem Staticae et Dynamicae solidorum et liquidorum in genere: quibus absolutis, sequentur tractatus de Calorico, Aqua, Aëre, Electricitate et Magnetismo: tum ultimo loco veniet doctrina de Luce, quam per singulas eius partes accurate exponendo, Physices hunc cursum conficiet.

FELIX DRZEWINSKI Phil. D. Universitatis Adjunctus, principia Mineralogiae ad Elementa nuper a se edita, exponet die Solis ab hora II ad IV pomer., diebus autem Mercurii et Saturni ab horae III dimidio ad IV pomer. Enarratis partibus huius scientiae, et designatis formis rupium, dividet eas in classes secundum systema Wernerianum, atque huius divisionis rationem in diversis earum signis et characteribus indicabit. Tum accedet ad exponendam primam partem Mineralogiae quam Oryctognosiam vocant, quaeque in fos-

silibus simplicibus versatur; et inprimis enumerabit characteres fossilium, disseret de characteribus externis, enucleabit methodum Wernerianam designandi formas crystallorum, explicabitque systemata mineralogica Cl. VV. Werneri et Haüy. Porro systema Wernerianum secuturus, describet singula fossilia, recensebit cuiuslibet characteres externos et chemicos, patriam, situm in terra, usum, et nomina quibus a celeberrimis mineralogiae Magistris insigniuntur, ac monstrabit perfecta omnium specierum exemplaria. Oryctognosiam excipiet Geognosia, cuius est docere de rupibus et montibus, in qua describentur species petrarum; enarrabuntur partes componentes saxa; exponetur ordo quo rupes diversae iuxta positae formant montes segregatos, vel simul copulatos; deinde agetur de petrificationibus; indicabitur ratio cur organica corpora inter fossilia mixta sint, et quomodo induruerint; describentur quoque species petrarum in quibus continentur corpora petrefacta; ex his autem notionibus concludentur opiniones quoad relativam cuiuslibet rupis vetustatem. Denique aget de fossilibus nuper repertis quorum indoles et proprietates nondum innotuere.

VINCENTIUS KARCZEWSKI Phil. Mag. diebus Lunae et Jovis ab horae VIII matutinae dimidio ad IX, diebus vero Mercurii et Saturni ab horae XI dimidio ad XII dimidium, praelectiones suas habiturus, Cursum Astronomiae a Trigonometria sphaerica analytica incipiet. Notionem sphaerae et circulorum in ea, ad positionem astrorum stabiliendam facientium, exponet. Sequetur explicatio fabricae et usus instrumentorum astronomicorum, notio et divisio temporis. Usum Trigonometriae sphaericae in resolvendis problematibus astronomicis, positionem astrorum spectantibus, docebit. Motum terrae diurnum et periodicum circa solem, phaenomenaque inde pendentia ac totius systematis mundi ordinem enucleabit. Naturam et calculum refractionis, parallaxeos, praecessionis, aberrationis et nutationis aggredietur, distinguetque motus et positiones astrorum apparentes a veris. Disseret de catalogo astrorum, quidque in eo construendo servandum. Perget ad explanandos motus planetarum primariorum et secundariorum, et ad investigandas eorum positiones heliocentricas et geocentricas: in elementa orbitae cujusvis Planetae inquiret, adiuncta methodo eruendi loca Planetarum ex elementis suarum orbitarum. Eclipsium solarium et lunarium doctrina absoluta, usum Astronomiae in Chronologia et in construendis horologiis solaribus monstrabit.

Diebus Lunae et Jovis ab horae VIII matutinae dimidio ad IX, diebus vero Martis et Veneris a IX ad XI dimidium Doctor designandus docebit 1) Algebram includendo omnes eius partes: ubi non solum cum simplicibus, sed etiam cum exponentialibus, radicalibus et imaginariis quantitatibus omnes operationes: determinatae, indeterminatae atque superiorum graduum aequationes, series recurrentes, fractiones continuae,

functiones transcendentes, logarithmi, alterumque etiam transcendentium genus Arcus circuli, simulque modi tabulas tam logarithmicas quam trigonometricas condendi, locum habebunt. 2) Applicatio eiusdem Algebrae ad lineas curvas, praecipue ad lineas secundi ordinis, sectionum conicarum nomine insignitas, ad alias etiam lineas transcendentes, instituetur. Imo praeter differentialem, integralem et variationum calculum, alteram Matheseos sectionem constituentem, quod solummodo ad perfectum absolutumque Matheseos purae cursum pertineret, nihil omittendum curabit.

Collectionem formarum technologicarum diebus et horis indicendis monstrabit, earumque in opificiis et agricultura usum docebit Magister, cui cura haec demandabitur.

Diebus Mart. Jov. et Sat. ab horae XI dimidio ad XII Topographia tradetur, methodusque delineandarum geometrice positionum, ad usus civiles, oeconomicos et militares accomodata, exponetur a Magistro ad hoc munus designato.

II.

PRAELECTIONES MEDICORUM.

~~JOANNES ANDREAS LOBENWEIN~~ Med. et Chirur. Doctor, Coll. a Consil., Caes. Acad. Scient. Petropolit. Collegii Praefectorum rei medicae, Caes. Acad. Medico-Chir. nec non Societ. Medico-philantrop. Petrop. Sodalis; Ordinis Medici hac in Universitate Decanus, Anatomiae humanae et Medicinae forensis Prof. P. O., Anatomiam pertractabit diebus Martis et Veneris ab hora IX ad XI dimidium, diebus vero Mercurii et Saturni ab XI dimidio ad XII.

Idem praelectiones in Medicinam forensem instituet diebus Mercurii et Saturni ab hora III pomeridiana ad IV.

AUGUSTUS BECU Phil. et Med. D., a Cons. Aul., Ordinis S. Vladimiri IV. classis Eques, Reg. Soc. Vars. et Jenner. Londin. Sodalis, Pathologiae et Hygienae Prof. P. O. diebus Lun. Merc. Jov. et Sat. ab hora IX usque ad XI dimidium, exponet cursum Pathologiae generalis et specialis, sua Elementa secuturus; quo non interrupto, mensibus aestivis, diebus et horis serius designandis, praemissa Anatomia et Physiologia populari, Hygienam docebit, Clericorum Seminarii Vilnensis usibus praecipue accomodatam, cui Politiae medicae capita nonnulla, quantum in eorum rem fuerit, subiunget.

FERDINANDUS SPITZNAGEL Med. et Chir. D., Colleg. a Consil. Caes. Soc. Mosqu. Scrut. Nat. Sodalis, Therapiae generalis et Materiae Medicae Prof. P. O., diebus Lun. Mart. Jov. et Vener. ab horae XI matut. dimidio usque ad XII praelectiones suas habiturus, incipiet a Therapia ge-

nerali, quacum Materiam generalem et Pharmacocatagraphologiam, seu methodum formulas medicas praescribendi, coniunget. His absolutis, in Materia medica speciali docebit singula corpora medica plus minus usitata, fusius vero interpretabitur illa, quae in potioribus Europae Pharmaciis, maxime vero illa, quae in Pharmacopoea Rossica et Pharmacopoea castrensi Ruthenica asservata prostant. Cursum absolvet Toxicologia seu cognitio venenorum: illorum noxa, antidota, et si quis est illorum usus medicus, indicabitur.

JOSEPHUS FRANK Phil. et Med. D., Coll. a Consil., Collegii Praefectorum rei medicae Sodalis, Ordinis S. Vladimiri IV classis Eques, Therapiae specialis et Clinices Prof. P. O., quotidie ab horae IX dimidio ad X dimidium, in nosocomio clinico doctrinam medicam curandis morbis adaptabit, tradetque sexies per hebdomadam ab horae X dimidio ad XI dimidium, ad praecepta sua Praxeos medicae, eam Therapiae specialis partem, quae ad febres et morbos cutis, sensuum, cerebri, medullae spinalis, nervorum, tracheae, pulmonum, cordis, vasorumque sanguinis circulo dicatorum, spectat. Neque deerit clinicis occupationibus in nosocomio hora V ad VI vespert. observandis.

LUDOVICUS HENRICUS BOIANUS, Med. et Chir. D., Coll. a Cons., Ord. S. Vladimiri IV cl. Eques, Caesar. Acad. Scient. et Medico-Chir. Petropolit., Societ. nat. curio. Mosq. al. q. Soc. litt. adscriptus, Veterinariae Medicinae et Anatomes comparatae Prof. P. O. 1) Diebus Lun. Mart. Jov. et Ven. ab horae II dimid. ad III Veterinariae Medicinae doctrinam tradet. 2) Opera in Instituto practico veterinario tractanda diriget, atque in usum praelectionum vertet, quantum ex illis hisce idoneum videbitur. 3) Anatomes comparatae lectionibus, diebus Merc. et Sat. iisdem horis habendis, zoophytorum, vermium intestinorum, insectorum, arachnoidum animalium, crustaceorum, vermium exterorum, molluscorum, piscium, reptilium, avium, denique mammalium fabricam exponet, eamque ipsorum animalium sectione, vel praeparatorum, in museo zootomico suis curis collectorum, ope illustrabit; succurendo, ubi necessarium fuerit, adumbrationibus ad tabulam nigram depingendis.

JOANNES WOLFFGANG Phil. D., a Cons. Aul. Reg. Soc. Oecon. Vars. Sodalis, Pharmacologiae et Pharmaciae Prof. P. E., diebus Lunae, Mart. et Jovis, ab hora II pomeridiana ad IV dimidium, tractabit doctrinam de pharmacis simplicibus seu Pharmacologiam, in qua cuiuslibet producti naturalis ac usum medicum destinati exponet characteres, indolem, patriam, tempus et rationem acquirendi vel colligendi, nec non conservandi; atque his omnibus adiunget criteria, quorum ope medicamenta bonae notae ab adulteratis, corruptis et falsis distinguere licet. In doctrina de medicamentis compositis

seu Pharmacia, expositis inprimis iis omnibus conditionibus et regulis, quae ad Imperii leges, vel expeditionem formularum a medicis praescriptarum, vel calculi artem in pharmacopoliis tenendam, vel denique ipsos pharmacopoeos proxime spectant; describet cuiuslibet in specie praeparati pharmaco-chemici normam praeparandi, operationes pharmaceuticas in laboratorio coram auditoribus instituet, theoriam earum et singulas proprietates tam physicas quam chemicas docebit, ut omni in casu bona indoles dati pharmaci, vel circa illud fraus commissa, ope reagentium detegi possit.

NICOLAUS MIANOWSKI Phil. Med. et Chir. D., Reg. Societ. Oeconom. Vars. Sodalis, Physiologiae Prof. P. E., diebus Martis et Jovis ab horae VIII matutinae dimidio ad horam IX et die Veneris ab hora VIII ad IX Physicam corporum organicorum in genere; post haec vero Physiologiam organismi humani in specie ad ductum libri Prof. Andr. Sniadecki exponet: quibus omnibus fusius pertractandis subjunget novissima experimenta clarissimorum virorum, qui in concipiendis vel explicandis phaenomenis organicis quam maxime nostris temporibus inclaruere.

Idem, artis, quam obstetriciam vocant, praelectiones ordine sequenti instituet: 1) Maribus artis huiusce studiosis per integrum annum scholasticum, idque diebus Mercurii et Saturni ab horae VIII matutinae dimidio ad horam IX totam exponet doctrinam ad mentem operis Cl. Froriep in polonicum idioma a se conversi et brevi typis vulgandi. 2) Pro mulieribus titulum obstetricis in Imperio ambientium inchoabitur cursus eiusmodi artis a calendis Januarii anni proximi MDCCCXVII bis per hebdomadem, scilicet: diebus Mercurii et Saturni ab horae XI dimidio ad XII ad ductum Elementorum Cel. Baudolocque in obstetricum usum conscriptorum. Insuper et praxin artis obstetriciae diriget, et labores practicos, quos xenodochium obstetricium penes Universitatem constitutum sat abunde exhibet, consueto more et studio moderabitur.

Chirurgiae Lectiones et exercitationes Chirurgicae diebus et horis consuetis habebit et moderabitur Magister, ad quem serius haec provincia deferetur.

VINCENTIUS HERBERSKI Med. D., Universit. Adjunctus, laboribus studiosorum in nosocomio clinico, qua adiutor Professoris Clinices, proximam curam impendet.

ANTONIUS KIERSNOWSKI Med. Cand. Anat. Prosector, repetitiones anatomicas instituet diebus Lun. Mart. et Jovis post meridiem ab horae III dimidio ad hor. IV dimidium; diebus autem Mart. Mercur. Jov. et Satur. ab hora IV usque ad VI vespert. studiosorum operam in dissectionum anatomicarum exercitiis moderabitur.

III.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORUM SCIENTIARUM ETHICO-POLITICARUM.

SIMON MALEWSKI Phil. et Jur. Civ. D., Colleg. a Cons., Ordinis huius Decanus, Juris Naturae et Gentium Prof. Emeritus, diebus Martis, Mercurii, Veneris et Saturni ab horae VIII matut. dimidio ad IX praemissis institutionibus Logices, docebit Jus Naturae, Jus naturale politicum et Jus naturale gentium: his tractatibus explanaturus ea omnia, quibus societates humanae, civiles et politicae stabiliuntur; speciatim vero immorabitur deducendis principiis iustitiae atque obligationum socialium: ducibus Compendiis Godofredi Achenwall latino, et Hieronymi Stroynowski vernaculo sermone ad usum auditorum typis vulgati, quibus celebriorum auctorum placita subiunget.

ALOYSIUS CAPPELLI Phil. et Juris Utr. Doctor, Juris Civilis et Poenalis veterum et recentiorum celebriorum gentium, nec non Juris Canonici Prof. P. O. explicitis superiori anno iis, quae tum ad ius personarum, tum ad ius hominum in re pertinent; hoc anno diebus Martis et Veneris ab horae XI dimidio ad XII ad eam partem Juris Civilis progredietur, quae ius ad rem comprehendit, qua in pertractanda 1) notionem, causas, et species obligationum enucleabit: 2) de Conventionibus in genere singulisque earum speciebus: 3) vero de modis quibus obligationes solvuntur fuse disseret, ad solidiora Ethices principia omnia revocando. Dein si per tempus licebit, privatorum iudiciorum ordinem delineabit. Diebus vero Mercurii et Saturni, hora eadem, de iudicio et processu criminali tum accusatorio tum inquisitorio, et de singulis huius ultimi partibus aget, ubi etiam probationis iuridicae naturam et modos omnes, quibus ea conficitur, accurate expendet.

Idem cum superiori anno Jus Ecclesiasticum publicum tum internum tum externum, easque iuris privati partes tradiderit, quae personas et res ecclesiasticas complectuntur, hoc anno diebus Lunae et Jovis ab hora XI ad XII tertiam eiusdem partem persequetur, nempe de modo procedendi in iudiciis ecclesiasticis, ubi etiam de materia horum iudiciorum et de tribunalibus ecclesiasticis aget, ultimo loco delicta poenasque ecclesiasticas enarraturus.

JOANNES ZNOSKO Phil. D., Regiae Societatis Litter. Varsov. Sodalis, a Cons. Aul., Oeconomiae politicae Prof. P. O. diebus Lunae et Jovis ab horae VIII dimidio ad IX, Martis vero et Veneris ab hora IX ad X et dimidium 1) Oeconomiam politicam proprie sic dictam nec non doctrinam

de reditibus publicis ad Compendium vernaculo sermone a se vulgatum enarrabit, theoriam Adami Smith potissimum secuturus, eamque adjectis recentiorum hac de re scriptorum opinionibus, illustraturus. 2) Rei mercatoriae disciplinam tradet duce V. Cl. Büsch.

JOHANNES JOHANNIDES CZERNIAWSKI Phil. D., Coll. a Cons. Linguae, Litteraturae ac Historiae Rossicae Prof. P. O. res gestas Rossiae, diebus Mercurii ac Saturni ab hora matutina XI ad XII ad dictata sua ordine pertractabit.

ANDREAS KŁĄGIEWICZ Phil. et Theol. D., Can. Camenecensis, Theologiae Dogmaticae et Historiae Ecclesiasticae Prof. P. O. coeptum anno superiore praelectionum cursum, spatio ineuntis continuabit. A via semel sibi proposita minime recessurus, Auditores suos in pertractandis, quae in Theologia potiora, et in Historia, praesertim primorum Ecclesiae temporum, ad mediam usque aetatem omnium virtutum, omnisque bonae disciplinae exemplorum feracissima, utiliora censentur, paulo diutius detinebit; ut his tanquam fundamentis innixi, quod in SS. Disciplinis reliquum erit, firmius faciliusque opus perficiant. Quod vero temporis ordinem spectat, institutionibus theologicis quatuor per hebdomadam horae, diebus Martis et Mercurii ab VIII ad IX et dimidium, die vero Jovis ab VIII ad IX, historicis autem die Veneris ab VIII ad X duae continuae horae dabuntur.

JOANNES CANTIUS CHODANI Theol. D., Theologiae Moralis ac Pastoralis Prof. P. O. diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris ab hora IX cum dimidio ad XI universam doctrinam Moralem Christianam novo cursu enarraturus, hoc anno, praemissis, quae huius disciplinae naturam, utilitatem, fontes, adminicula et historiam attinent, ad contemplandas hominis facultates cum physicas, tum potissimum morales perget, legesque exponet quas natura humana in virium harum usu et exercitatione observat. Derivatis hinc notionibus generalibus actionis humanae, libertatis, legis moralis, obligationis, conscientiae, virtutis, vitii seu peccati, imputationis, felicitatis ac finis hominis ultimi, positisque generalibus totius doctrinae Moralis principiis; singula haec ad disciplinam Moralem Christianam in specie applicabit. Tandem de officiis Christiani ad Deum et se ipsum relatis, tum internis tum externis, disseret.

SIMON FELIX ŻUKOWSKI, Universitatis Adjunctus, diebus Martis et Jovis ab hora III ad IV Linguae Hebraicae praecepta tradet, explicabit Vateri V. Cl. Chrestomathiam, atque interpretationem libri Geneseos continuabit.

MICHAEL BOBROWSKI S. Theol. et Phil. Magister, diebus Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni ab hora XI matutina ad XII Sacrae Scripturae interpretis munere et officio ita fungetur, ut praecepta interpretandi doceat, quorum cognitione

et usu auditores ipsi paratiores fiant ad veram Scriptorum Sacrorum sententiam et indagandam et certis rationibus firmandam. Hermeneuticae igitur Sacrae, praeeunte Jahnio in Enchiridis et Arigleri Hermeneutica, decretis breviter enarratis, accedet ad explicandos Novi Testamenti libros, qui reliqui sunt, quique praeter illos, praeterito anno explicitos, Actorum, Epistolarumque Apostolicarum nomine appellantur Commentarios Estii ac Thaddaei Schnappingeri potissimum duces secuturus.

IGNATIUS DANIŁOWICZ Jur. Civ. Magister, vernaculo sermone Cursum Juris Patrii biennio absoluturus, quum anno elapso de primo Juris obiecto fuse lateque disseruerit, et de secundo ita dicere coeperit, ut modos acquirendi rerum dominium per successionem attigerit, hoc anno, diebus Mercurii et Saturni hora X ad XI. 1) leges omnes de successionibus ab intestato explanabit; 2) de iure dotium, et usufructu conjugis superstitis in bonis a defuncto marito relictis: 3) de contractibus tum in genere tum in specie aget: 4) crimina eorumque poenas expendet: 5) denique quantum per tempus licebit, de Processu civili Patrio nonnulla monebit. In his vero omnibus pertractandis, Sanctionum recentioris Juris Rossiaci rationem habebit.

Idem diebus Lunae et Jovis hora eadem, discipulos Juri Romano cognoscendo operam dantes, in iis quae uberius latino sermone a Cl. eiusdem Juris Professore traduntur, eruditurus; Elementa Juris Civilis secundum ordinem Institutionum Justinianarum ab Heineccio V. Cl. concinnata, vernaculo sermone auditoribus exponet.

JOACHIMUS LELEWEL Regiae Societ. Litter. Vars. Sodalis, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis ab hora VI pomeridiana ad VII historiam medii aevi universalem inde a quinto post Christum natum saeculo, ita enarrabit, ut quaecunque eventa et res gestae ad statum civilem, ad rem publicam populorum eorumque culturam universam maximam vim habuerint, exponantur; porro, ut auditores accuratam historiae notionem sibi informent, de Critica historica seu de veritatis investigandae modis aget; subsidiarias doctrinas uti Diplomaticam, Numismaticam, Heraldicam etc. explicabit. Disputabit quoque de Aetiologia historica, quae causarum et effectuum e quibus pendeant res gestae et quo referantur, investigationem ac diiudicationem tradit; Chronologiam, Geographiam, Ethnologiam strictim attinget; disseret denique de historiographia, cuius est docere quomodo historia conscribenda sit, praestantiora historica opera commendaturus, praedictam partem historiae et artem historicam e propriis commentariis tradet.

IV.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORUM LITTERATURAE ET ARTIUM ELEGANTIORUM.

GODOFREDUS ERNESTUS GRODDECK Phil. D., Linguae et Litterarum Graecarum et Romanarum Prof. P. O. Demosthenis orationem de corona et Sophoclis Philocteten sexies per hebdom. h. X matut. Ciceronis orationes Verrinas quater Lun. Mart. Jov. et Ven. diebus h. II pomerid. enarrabit; eadem hora, sed Merc. et Sat. diebus, Encyclopaediae philologicae, anno superiore explicari coeptae, reliqua capita, maxime Mythorum doctrinam et Archaeologiam, ad libelli Fülleborniani formulam, exponet. Idem selectioris studiosorum coetus exercitationes philologicas, quum interpretandi tum disserendi et scribendi illas, Lu., Merc. et Sat. diebus h. I pomer. moderari perget.

JOHANNES JOHANNIDES CZERNIAWSKI Phil. D., Coll. a Consiliis Linguae, Litteraturae et Historiae Rossicae P. P. O. quotidie, Solis diebus exceptis, ab hora IX ad X proposita litterarum artium ac scientiarum in Imperio Rossico Historia, docebit Grammaticam Rossicam, exponet breviter utriusque eloquentiae praecepta, recensebit clariores Rossicos scriptores, quorundam illorum scripta vel ex toto vel ex parte perleget, exercitationesque in versionibus ex aliis linguis in Rossicam instituet.

JOSEPHUS SAUNDERS, Caesar. Acad. Petrop. et Reg. Stockholm. Sodalis, Phil. D. Chalcographiae, Artium elegantiorum ac Litterarum Anglicarum Prof. P. O. Lunae, Mercurii et Satur. diebus ab hora V ad VI, praemissa vocabulorum in artibus tradendis receptorum explicatione, Gallo-Francorum utens sermone, Artium liberalium disquiret initia, incrementa, florem, vicissitudines, interitum, primo apud veteres populos maxime apud Indos, Hebraeos, Aegyptios, Persas, Etruscos, Graecos, Romanos; tum renata earum studia in Italia, et quae mox ibi exstiterunt, scholas diversas; porro artium indolem atque fata in Germania, Belgio, Hollandia, Gallia, Hispaniis, Anglia, Dania, Svecia, Polonia et Rossia persequetur; deinde singularum artium, ut Sculpturae, Picturae, Chalcographiae vim ad humanitatis, morum, vitaeque cultum declarabit, variosque usus indicabit, quos politicae, rerum commerciis, historiae, litterarum studiis omnino illae adferre putandae sint: postremo disseret de iis quae in optimo ipsarum artium cultore desiderantur, deque vi, quam in easdem diversi coeli tractus exercent. 2) Martis et Jovis diebus ab hora V ad VII dimidium, nunc Franco-Gallorum, nunc Anglorum vicissim lingua utens, Litteraturae Anglicae cursum persequetur ac primo the history of Greece by Gillies. Theo-

ry of Moral Sentiments by Adam Smith. Civil Society by Ferguson Spectator by Addison, Moral Essays by Knok; deinde vero the Rape of the Lock and Essay on Criticism by Pope, Paradise lost by Milton, select tragedies by Shakespeare. 3) Artis Chalcographicae studiosorum exercitationes reget quotidie, Solis diebus exceptis, ab hora VIII matutina usque ad meridiem.

ALOYSIUS CAPPELLI Phil. et Jur. Utr. Doctor, Ordinis huius Decanus, Juris Civ. Poen. et Can. nec non Linguae et Litterarum Italicarum Prof. P. O. diebus Lunae et Veneris ab hora V ad VI tironibus linguae Italicae praecepta tradet, provectiores vero interpretandis excellentium poetarum locis ad Delectum suum nuper typis expressum exercebit, eodemque tempore ostendet, eos prae ceteris de Italica poesi optime meruisse, qui sensus, modos coloresque mirificos latinorum ac praesertim graecorum ad eam traduxerunt.

JOANNES PINABEL, a Cons. Aul. Linguae et Litteraturae Gallo-Francorum Prof. P. E. Linguae Gallo-Francorum praecepta et litterarum elegantiorum historiam tradet diebus Martis, Mercurii, Veneris et Saturni, hora III ad IV pomeridianam.

JOANNES RUSTEM a Cons. Aul. Artis delineandi Prof. P. E. omnibus diebus per hebdomadem, ab hora V vespertina ad VII regulas Artis delineandi tradet et explicabit, ad lampadis quoque lucem discipulos, tam ex antiquis quam anatomicis figuris, deinde de vivo exemplari, formas ducere exercebit.

SIMON FELIX ŻUKOWSKI Univers. Adiunctus, Linguae graecae elementa traditurus expositioni Grammatices subiunget explicationem Chrestomathiae Cl. V. Jacobsii quam denuo hic recudendam curavit. Idem Luciani libellum Icaromenippus inscriptum ex editione Wolfii V. Cl. et Hesiodi Scutum Herculis a celeb. Car. Frid. Heinrichio editum interpretabitur diebus Mercurii et Saturni ab horae XI dimidio ad XII.

ANDREAS LEWICKI Phil. Doctor, Universitatis Adjunctus, Ciceronis Epistolas selectas et Sallustii Bellum Jugurthinum Vernacula lingua exponet, studiaque Auditorum ad scribendi et eximia scriptorum latinorum loca in patrium sermonem accurate et eleganter transferendi operam convertet regetque, diebus Martis, Jovis et Veneris hora I pomeridiana.

BENIAMIN HAUSTEIN, Univers. Adjunctus, diebus Lunae, Mercurii et Veneris ab hora IV ad V Linguae Germanicae praecepta tradet, et exercitationes germanice scribendi epistolas instituet.

Idem diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora V ad VI elementa Linguae Anglicae docebit.

LEO BOROWSKI Phil. Magister Aesthetices elementa, nec non Poëseos et Eloquentiae theoriam tradet Eschenburgio duce in libro: Entwurf einer Theorie und Litteratur der schönen Redekünste novis. edit. quater per hebd. Mart. Merc. Jov. et Sat. diebus hora IV — V pomerid. Praemissa utriusque artis brevi historia, poeticae solutaeque orationis per diversa genere indolem atque vim e clarioribus antiqui et recentioris temporis scriptoribus indicaturus, Vernaculorum auctorum rationem praecipue habebit. Practicis polonice scribendi exercitationibus studiosorum non deerit.

CASIMIRUS JELSKI Artium Magister, Sculpturae elementa tradet, tironumque in hac arte se exercentium studiae moderabitur, diebus Lunae, Mercurii et Veneris ab horae XI dimidio ad XII.

JOANNES DAVID HOLLAND Lun. Merc. et Vener. diebus hora III — IV Musices veteris et recentioris disciplinam tradet, doctrinamque de sonorum numeris (Contrapunct), de diversorum intervallorum usu, de sonorum figuris totis et dimidiatis (Cadences), de siglis continuis (General-Bass) et de compositione musica exponet.

Artes Gymnasticas, cum saltationis, tum rudibus vel pugnatoriis armis batuendi, publice docebunt harum Artium Magistri, diebus et horis designandis.

Bibliothecam Academicam apperient quotidie, Solis ceterisque festis diebus exceptis, hora III — V. Godofr. Ern. Groddeck Bibliothecae Acad. Praefectus, Custodesque Bibliothecae Acad. Casimirus Kontrym a Cons. Aul. et Simon Felix Żukowski, Universitatis Adjuncti.